

non vero uti Milleniorum cœtus , Burneto carus , arbitrabatur . Et ne quis in suspicione adducatur , tanti Praemii prærogativam in solis tunc proprio appellatis Martyribus constrictam fuisse , sibi in mentem revocet , quod jam monui , per analogiam quamdam in censum *Martyrum* eos olim quoque venisse , qui propter alias Virtutes , & præsertim ob Caritatis opera , in Domino morerentur . Alteram ejusdem S. Dionysii Epistolam Eusebius idem Lib. vii. cap. 22. Histor. Ecclesiastic. ad posteros transmisit . Ibi beatissimus ille Episcopus pestilentiam describit , qna laboravit Alexandrina sua Civitas . Tyrannorum persequitionem primo commenorat , ob quam *omnium letissimam felicitatem egerunt consummati Martyris , QUI IN COELO EPULATI SUNT* . Deinde Christianorum Caritatem extollit in fereunda ope fratribus suis lue pestilenti infectis , in quo munere multi ex iis decessere , adeo ut *GENUS HOC MORTIS ob Pietatem , Fideique constantiam , NEQUAquam INFERIUS MARTYRIO cœfatur* .

Sæculo eodem iii. eisdem immo diebus , quibus S. Dionysius , floruit alterum Catholicae Ecclesiae clarissimum lumen , S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus , qui Anno Christi ccclviii. glorioſissimo Martirio cursum suum complevit . Qæc tune foret Catholicorum doctrina de Justorum Animabus præsenti Sæculo erexit , ab ipso sci- scitemur . Tam crebra , tam lucida sunt eloquentissimi viri hanc in rem testimonia , ut non eruditioni , sed oneri saturum foret , singula referre . Is profecto passim Coronam pugnantibus pro Christo pollicetur . Et qualis , quæsio ? In Cœlis , atque apud Dominum accipiendo . Et quando ? Non , ut Burnettus sibi fingit , post complures Annorum myriades , sed sine mora post datam in agone vitam . In Epistola ad Sergium , Rogatianum , aliosque Confessores , eoshortatur , ut in confessione Cœlestis gloria fortis & stabiles perseverent , & ingressi viam Dominicæ dignationis , ad accipiendam Coronam spirituali virtute pergent . O beatum carcerem , qui homines Dei mittit ad COELUM ! Nemo Mortem cogite , sed Immortalitatem : nec temporiam pœnam , sed Gloriam Sempiternam , quam scriptum sit : Pretiosa est in conspectu Domini mors Justorum ejus . Quando ergo Judicatueros vos , & REGNATUROS CUM CHRISTO DOMINO cogitatis (quod & nuper vidimus a Dionysio Alexandrino commemoratum) exultetis necesse est . & futurorum gaudio præsentiam supplicia calcetis . Beata enim feminæ , quæ . & obsecum sunt in eadem confessionis gloria constitutæ , non solum ipsæ AD CORONAM PROXIME sunt , sed & ceteris quoque feminis exemplum de sua constantia præbuerunt . Denique Dominum deprecatur , ut initii ad summa peregrinibus , quos confiteri fecit , faciat & CORONARI . Opto vos , fratres carissimi , bene valere , & ad CORONAM COELESTIS GLORIE pervenire . Quid si Corona Martyribus a Deo conlata , ac toties in veterum Actis repetita , hinc discimus , ac nos numquam obliisci juvabit . Tum in Epistol. ad Martyres & Confessores Quædam , inquit , jam comperti Coronatos , quosdam vero ad Coronam visiti-